

Ego Henricus Dei gratia dux Cracovie simul et Silesie. Notum facio universis fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit. Quod ad honorem sancti sepulchri, et ad remedium anime mee, et memorum parentum, dedi et concessi, ac presenti pagina confirmavi, ecclesie sancti sepulchri in Miechow, omnia iura et libertates universas, quas in privilegio antecessorum meorum, pie recordationis Boleslai, et Meschonii, quondam Ducum Poloniae reperi confirmatas, videlicet ipsam villam Miechow, cum singulis sibi appendentibus prediis, ab universo debito, quod ad principum iuratum pertinebat, liberam liberaliter confirmavi. Omnem etiam iurisdictionem de foro, de taberna, de causis quoque tractandis, que ad tribunal ducate pertinebat, eidem ecclesie confirmavi. Ville etiam que vocantur Chetm, omnibusque villis in provincia constitutis ecclesie Miechoviensi pertinentibus, libertatem innovavi, ut nullus de Ducalibus Beneficialibus seu officariis, homines easdem villas inhabitantes, seu forum in ipsis frequentantes, in aliquo opere servitutis vexare presumat. Podwod et Prewod non dent, nec ad expeditionem sive ad castri edificationem aliquis eos ire compellat. Hec mea confirmatio facta est in Opol, sexta nonis octobris, anno verbi incarnati, millesimo ducentesimo trigesimo secundo, Presentibus Boleslav Duce Bohemie nepote meo,

Monastica.

1480  
uno cancellario de Opol, Reginaldo archi-  
diacono de Opol Gerosto, Throsto de Opol,  
Joanne de Bythom, Wernero de Osvechin,  
Andrea de Michato, Jasa de Sevier castel-  
lanis, Nicolao filio Vasili venatore, et  
multis aliis.